



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XII. Principi foßilium rerum precia conquirenda esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

mine detineri: & si ab aliis possidentur (cuiuslibet spaci temporis prescriptione cessante) ab vniuersis detentoribus vindicandosidem militibus sine vilo prorsus (sicut antiquitus statutum est) collationis onere volumus assignari: in his etiam contra eos, qui preceptionibus nostris obuiam venire tentauerint, proscriptiois poena valitura. Nam si quis forte (quod minime audere debuerat) emptionis titulo, memorati iuris possideat pradia: competens ei actio contra venditorem intacta seruabitur.

Milites veterani noui coloni. Imitare animose Princeps, firmabis opes, & regnum; Ecce gentium Domini per militem agros limitaneos, hostium excursibus obnoxios colebant, nec tum pudebat Veteranos arationis, qui pro extremo premio agros expectabant, qui nouerat maximos Imperatores post trabeam, ad suam triumphalem redisse. Denique hoc age, vt vbique tuus ager, tuum pecus videatur. Miror Romanam industriam. Augusti imperio, C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Cofs. C. Caelius Claudius Isidorus testamentum edixit, Plinius lib. 33. cap. 10. Quis uis multa ciuili bello perdidisset, tamen relinquere seruorum 4116. iuga bouum tria millia sexcenta, reliqui pecoris, ducenta quinquaginta millia, in numerato sexcenties decies quinquies centena Philippicorum millia, computatione Lipsiana. Hæc priuatus, & bellum passus. Cur non Princeps, si omnes occasiones inquirat, idem poterit?

Turca fides agros coleret orbem totum occupare posset. Ad Agriculturam refero piscinas, saltus, omniaque quæ terra & aqua proueniunt. Quorum fructus si Princeps sequatur, nihil opus fuerit, quotidie noua uectigalia, noua tributa imponere. Terra ipsa satis secunda fuerit ad dignitatem tuendam, hostemque arcendum. Quod si Turca, qui tantum terræ desertæ & fertilis possidet, vel millesimam aliquam partem in Grecia, in Asia, Palæstina serid colendam susciperet, facile tantos greges, quantos Josaphat, Ezechias, Josias, in sumptum exercitus alere posset, sed noluit Deus tantæ sæuitiæ addere prudentiam politicam, ne viribus suis totum orbem occuparet.

CAPVT XII.

Principi fossilium rerum precia conquirenda esse.

§. 1. Germanis nostris argentum, & aurum propitius, an irati Diu negauerint, dubitat Tacitus; sanè nunc quam plurimum auri, argenti, gemmarum possident. Multi etiam laborem improbum, τὸν ὑσταλλῶντων, metalla exquirentium valde reprehendunt, aurum irreperitum, ajunt, melius situm, dolent cum Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Metalla scrutari oportet est principum. Plinius libro trigesimo idem studium, quod docet, insectatur, Metalla nunc, ipsæque opes, & rerum precia discuntur, tellurem intus inquirente cura multiplici modo: quippe alibi diuicijs foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs: alibi delicias gemmas, & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cadesque. Persequimur omnes eius fibras, viuimusque super excavatam, mirantes dehiscente aliquando, aut intremiscere illam, ceu verò non hoc etiam indignatione sacra parentis exprimi possit. Imus in viscera eius, & in sede Manium opes quarimus, tanquam parum benigna fertillique, quaquà calcatur. Inter hæc minimum remedium gratia scrutamur. Quot enim cuius, fodendi causa medicina est? Quamquam & hoc summa sui parte tribuit, vt minime parca, facilius, in omnibus qua profunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, qua occultauit atq; demersit, illa qua non nascuntur: vt repente mens & inane euolans reputet, qua deinde futura sit finis, seculis omnibus exhauriendi eam, quousque penetret

auaritia. Quam innocens, quam beata, imò verò & delicata esset vita, si nihil aliud, quam supra terras, concupisceret, breuiterque, nisi quod secum est! Eruitur aurum & chrysocola iuxta, vt pretiosior videatur nomen ex auro custodiens. Parum enim erat vnam vitam inuenisse pestem, nisi in pretio esset, auri etiam sanies. Querebat argentum auaritia: boni consuevit interim inuenisse minium, rubentisq; terra excogitauit vsum. Heu prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretiare rum? Accessit ars pictura, & aurum argentumq; calando carius fecimus. Didicit homo naturam prouocare. Auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines calare inuit, ac per obscenitates bibere. Abiecta deinde sunt hæc & sordere coepere: & auri argentiq; nimium fuit. Murrhina & chrysellina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuria gloria existimata est, habere, quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & Smaragdus textimus calices: ac temulentia causa tenere Indiam inuat: & aurum iam accessio est.

Opum abusus est, sed non nisi opib. defendi Respubl. potest.

§. 2. Hæc omnia auaritiæ sunt conuitia, non facultatum, vt initio dixi; De v s enim hæc quoque donauit in vsum humani generis, quod abundare, & splendere voluit; nec alio modo subterraneæ diuitiæ vituperantur, quam ea, quæ foras ipsa producit, vinum, & fruges, animalium deliciae, formarum venustas, his enim omnibus stultitia abutitur. Metallorum itaq; opes sapiens Princeps inquit, & ea Republicam iuuabit. Aurum per bella querere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates opprobrium, in sua verò natura, iustitia, vt monet Cassiodorus. Ratio triplex ejus inueniendi. Apud nos, inquit Plinius libro 30. cap. 4. tribus modis; Fluminum ramentis, vt in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India; alio modo scrobibus puteorum effoditur, aut ruina montium. In fluminibus licet præstantissimum dicatur, & absolutissimum cursu ipso trituque perpolitum, non tamen jam amplius inuenitur, aut potius non queritur.

Vitia vituperantur, non facultates.

Tribus modis aurum quaritur.

Cum verò ex metallis, gemmis, marmoribus, omnibus metallicis, & sanie metallorum ingentes utilitates oriantur, non sunt negligenda, sed tanquam Reipublicæ data beneficia cum gratiarum actione vsurpanda. Quod si jam olim venæ compaterint, inuestiganda porro; de nouis quoque sedulo cogitandum. Neque existimandum ita, Deum dispensasse, vt veteres omnia eruerint; Immensæ diuitiæ latent abdita sub montium molibus, aliæ profundis, aliæ penè in propatulo. Tanta est eorum varietas, vt certare videantur cum illis, quæ enascuntur. In summâ tellure Principatu Neronis in Dalmatiâ inuentum est aurum, singulis diebus etiam quinquaginta libras fundens, cum jam inuentum in summo cespite, ait Plinius.

Aurum in summo cespite.

§. 3. Statuendum omnino plurimas esse passim venas metallorum per Europam, & Asiam, quæ negliguntur, cujus signum est fluuiorum arenæ aureæ, quæ indicant vicinas ripas abundare auro. Neque vllum Principem arbitror esse, qui non eas diuitias habeat, sed deesse industriam scrutandi. non affirmo vbique aurum esse, sed speciem aliquam metallica, seu fossilium rerum. Aurum, argentum, electrum, æs, ferrum, stannum, plumbum, argentum viuum, sandaracham, minium, cadmiam, alumen, sulphur, bitumen, terram Samiam, Ectetiam, Eliam, Selinusiam, Pignitidem, Ampelidem, Cimoliam, Sardam, Vmbriam, tot lapidum genera. Nam quotidie noua hujusmodi inueniuntur, quod signum est esse. Præcis temporibus nihil horum erat in hac nostra Septentrionali Europâ, nunc pluribus locis plurima sunt; quia olim aliæ erant curæ mortalium, nunc illa quærentur. Tacitus; Argentum negat esse in Germania, at nunc inuenitur, & hoc, & aurum.

Omnib. in terris aliqua metallica inesse.

Nulla

Locis hor-
ridis metal-
la non de-
sunt.

Cur minor
metalli sit
cura.

Palestina
metalli di-
ues.

Arabia au-
ro abun-
dans.

Nulla pars Germaniæ est, in qua non aliqua effo-
diantur; In Comitatu Tirolensi, Bohemiâ, Saxonîâ,
Pannoniâ, Transyluaniâ, Poloniâ, Hassiâ, Eiflâ, do-
tes illæ sunt. Imò in ipsâ Norvvegiâ sub frigore ar-
cto propè Ringaricham argenti venæ sunt, & in Su-
undhalangio cupri abundantia; In Suecia quoque
montes auri, argenti, æris, plumbi numerantur, sub
gradu 62. Ipsâ Britannia stannum argenti, ppè æmulū
gignit. Electrum mittit Borussia, Gemmas Herci-
niæ saltus. Causa cur minus in hoc genere elabore-
tur, est vel mutatio dominorum, & gubernantium,
vel bella, vel sanè sumptuum magnitudo; hinc pri-
uatorum vix opus est, olim publicani conducebant,
plures simul, & diuites. Rarus jam in Hispania fos-
sor auri est, quia noua Hispania, & Peruvia fertilior
est; negare tamen non possumus in Hispania metal-
licos esse montes, cum Scriptura, & experientia id
ostenderit; propè Carthaginem nouam quadragin-
ta non minus hominum millia perpetuo in opere
versata sunt, vt auctor est Polybius; quis credat vic-
inos montes aurum non habere: aut Carthaginenses
penitus exhaustos?

Nullum tamen Principem plures metallorum fo-
dinas habere arbitror, quam Turcarum Imperato-
rem, qui cum tamen sit auri ficientissimus eo bono
non vitur, & penuriâ petitorum, & Dei prouiden-
tiâ, ne tantis opibus contra reliquias Christianorum
instruat. Deuterom. 8. 9. Deus promittit terram
cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus me-
talla fodiuntur. Copiam magnam indicat, cum di-
cit אֲבִירָה בְּרֹךְ lapides eius ferrum; quasi ferri sit ea
copia, quæ lapidum, & hoc mirum cum sit, eadem
est ratio argenti, vt supra dixi. Æris quoque multi-
tudinem significat, cum ait אֲבִירָה excides, quasi in-
star saxorum æs excidatur de montibus. Auri verò
abundantiam fuisse ostendit Deut. 1. 1. Hæc sunt ver-
ba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem,
in solitudine campestri, contra mare rubrum inter Pharan, &
Tophel, & Laban & Haseroth, vbi auri est plurimum. Vbi
noster, & Chaldaus אֲבִירָה vertunt abundantiam,
seu sufficientiam auri, LXX. αὐτὰρ χρυσία, vel vt
alii, αὐτὰ χρυσία ad aurifodinas, siue quis verè in-
telligat esse sufficientiam auri, siue autem loci no-
men, parum effecerit contra id quod dixi; nam si
nomen est loco, inditum est ab auri copiâ, siue Scri-
ptura dicit aurum esse plurimum, conuincimus me-
tallorum esse multitudinem. Est in eo tractu vrbis,
de qua Genes. 36. versic. 39. אֲבִירָה - אֲבִירָה aquæ aureæ,
quantum potest esse nomen feminae. Et 33. v. 25.
Ferrum & æs calcamentum eius dicitur, seu אֲבִירָה,
quod interpretantur æris & ferri fodinas, quasi dicat,
ferrum & æs calcatio tua, hoc est, sub pedibus tuis
vbique fodinæ ferri, & æris, hinc Sarepta Sidonio-
rum אֲבִירָה conflando dicta est.

Sed ad χρυσία redeamus, de quibus Christia-
nus Adrichomius ita habet in Theatro terræ sanctæ
de Pharam Numer. 16. Aurifodina Hebræicè Di-zabab;
Græcè catachrysea dicta; vbi auri est plurimum. Sunt au-
tem montes auri fertiles in deserto, itinere vndecim dierum de
Oreb, iuxta quos Moyses Deuteronomium scripsisse perhibe-
tur: Sed & metalli æris, quod nostro tempore corrui, mon-
tesq; venarum auri plenos olim fuisse vicinos existimant. Deu-
teronom. 1. Hieronym. in loc. Hebr. & Epist. ad Fa-
biolam mans. 42.

De Arabia quoque constat auri ditissimam esse.
Auri quoque, ait Adrichomius in Manasse, Numer. 12.
& argenti venis ac glebis vsque adeo scater, vt omnis pene gen-
tis huius suppellex, alia auro, alia argento splendeat. Ven-
dunt & aurum finitimis triplo æris precio, argentum duplo,
ac quondam, vt Ezechiel nos docet in Tyri mercatibus præ-
stantissimas aromatum, auri & pretiosorum lapidum mer-
ces proponere solebant, quæ hinc in vniuersum mundum aue-

hebantur. Preciosissimarum siquidem ac selectissimarum
gemmarum, sardonichum videlicet, adamantum, margari-
tarum, baccarum, aliorumq; diuersi coloris ac clarè spenden-
tium lapidum felicitas huius Arabia terra admodum ferax est.
Nec terra tantum, sed & quod adiacet ei, mare huiusmodi la-
pidibus affluit. Nam hic ostrea seu conchyliæ capiuntur, in
quibus margaritæ nascuntur, & maturescunt. quæ quod nul-
le due indiscreta reperiantur, etiam vniones dicuntur, Qua-
rum tam nobilis natura est, vt nullo equari precio possit. Vnde
de Cleopatra Ægypti Regina legitur, quod hic inuentam mar-
garitam ducentis & quinquaginta aureorum millibus rede-
merit.

Nunc tamen nec magna cura est opes illas emen-
di, nec potestas; nam latrocinii, vastitate, timore ty-
rannidis omnia plena sunt.

§. 4. Omni generi metallicarum rerum conue-
nit, vt administrentur quidem per homines idone-
os, sed laborum maxima pars à damnatis ad opera
perficiatur. Itaque olim sapienter à Romanis, alijsque
factum, nec peccatum est, nisi iniqua iudicis olim
sententia, quæ Christiani Episcopi, Sacerdotes, lai-
ci fideles ad metalla pro pietate damnabantur. Qui
jure merito ita per flagitia meriti sunt, huic penæ
subijcendi sunt, & crebro mortis penam, in hanc
commutari fas est. Ægyptij vt Pyramidum, dedu-
ctionum Niliacarum barbara opera per damnatos,
& captiuos effecerunt, sic quoque ad aurum effodi-
endum improbos destinabant. Diodorus libro 1.
Quorum Reges omnes criminis damnatos, item ex hostibus ca-
ptos, siue quis Regem offenderet, ipsum & totam cognationem
interdum, auro effodiendo deputabant: simul & facinorum
penam sumentes, simul & quæstum vberem ex eorum labore
capientes.

Non ignoro innocentis plurimos magna tyran-
nide attritos omnia dira subiisse, sed monco Princi-
pem, vt verè reos, verè nocentes, vel ad totam vi-
tam velut penæ seruos, vel pro delictorum mensu-
râ ad certum tempus in tenebras istas ableger, mi-
rum enim est, quantum exercitatio illa modestiam
adjuuet, vbi omnis lassitudo exigunda est è corpore.
Nec difficilis custodia, tum quia in speluncis conti-
nentur, tum quia totum hoc genus ferratile est.
Quid enim? Proflint Reipublice penæ eorum, quo-
rum scelera obfuerunt Nunc in carcere multi mul-
tos annos continentur publico sumptu, truncantur
auribus, publicè flagellantur, exilio mutantur, in-
terim cum vitæ ciuilitate degenda copia denegetur,
ad furta, latrociniaque iterum accinguntur. Nus-
quam enim ob infamiam possunt consistere. His ta-
men interponi alij tum præfecti tum mercede con-
ducti debent, vt fugiendi occasio desit. Multas mi-
serorum centurias hodie carceres continent, qui
tam atrociam non admiserunt, vt morte puniendi
sint.

§. 5. Hanc ad industriam omnia cætera, vt Chry-
stallinas, vitriarias, lapidarias, aliasque officinas re-
uoco, salinas enim aliaque nominare superfluum est,
cum jam acidularum quoque vsus lucrum adferre
cæperit, & precio bibatur vnda. Salinas Ancus
Marcius Romæ primus instituit; qui & sex modio-
rum milla in congiario dedit populo. Plinius libro
30. c. 7. Olim res rara difficilisque, nunc in prom-
ptu. Sed tamen nusquam quod meminerim ea co-
pia, quæ in Italia, vbi Tarentinus lacus æstiuus
Solibus siccatur, & totus in sale m-
abit.

